197 418

Viro Longe Celeberrimo
Jo. Ern. Imm. Walchio
S. D. Pet. Wesseling

Noli excusationem, quam allegare cogor, in partem pejorem interpretari. Ab eo die, quo fratrem tuum Virum Clarissimum excepi, distractus mirum in modum fui: peregre abeundum fuit, cujus rei necessitas invitum denuo urgit hisce duobus mensibus. Si quid a negotiis vacuum superfuit, quod profecto exiguum fuit, id omne Herodotus abstulit. Labuntur anni & vergit in senium aetas, paullo amplior quam depontanorum Romae erat. Instant sollicitantque amici, ne susceptum opus destituam. Id itaque agendum fuit, neque multae cum maxime dierum hebdomades abibunt, quin Patrem Historiarum, vario rerum adparatu instructum, prela exerceant. Vides, optime Walchi, morarum caussas & sonticas quidem, uti ego opinor. Faxo tamen ut nomen liberetur, cessetque de neglegentia accusatio, sed alias. Patere interea hanc cunctationem, uberiore foenore pensandam. (Habes, opinor, videndi saltem copia est, exempla Herodoti Latine versa a L. Valla, quae ante annum CIↃIↃ. in lucem prodita sunt. Mihi nullum, quod seculum XVI. antevertat, inter manus est. Memini legere varios ea in versione hiatus esse, quos ex Graeco Aldino explerint P. Phoenix & Con. Heresbachius. Rescire percupio, ubi illi incipiant desinantque. In Mss. Vindobonensi & Britannico, qui uterque Vallae versioni passim respondet, deficiunt cap. 46 usque in principium cap. 53. libri primi, tum pars cap. 56. usque ad 69. porro cap. 77. pars potior ad medium 79. porro in capitibus 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 100. 103. 104. 105. haud pauca desiderantur. tandem in cap. 131 — 136. maximus vero hiatus est a cap. 140 ad 178. ejusdem libri primi. Optime de me mereberis, si, tuo tamen commodo, antiquissimam versionis editionem inspexeris, & quid deficiat, atque ubi signatis in locis, edocueris.) Habeo caussas, cur id scire aveam. Opera quoque levis est, neque recusabo par pari referre, si postules. Piersonus Moeridem Atticistam prelo tradidit, P. Burmannus Anthologiam Latinam & Ciceronis Rhetorica cum Graevii notis. Sed haec fortasse nosti. Vale & hunc annum feliciter absolve. X. Kal. Februarias

Viro Longe Celeberrimo
Jo. Chr. Gm. Wolfio
S.P. Pet. Wesseling

... explicationem, quam allegare ages, in partem
pejorem interpretari. Ab eo fac, quo factum tamen
Virum Clarissimum, excepi, ... mirum in modum
fui: peregre abeundum fuit, cujus rei necessitas in ...
... quod profecto exiguum fuit, ad curas
Herodoteas abstulit. ...

[illegible]

a Monsieur 39

Monsieur Jo. Ern. Imm. Walchius
tres savant & tres celebre Professeur

43

à

Frano Emmerik

Jena

17

61